

NICOLAVS DE CVSA CARDINALIS.



Nicolaus natus est in diocesi Treverensi in uila ad Mosellam, quae Cusa dicitur. hic a parentibus in bonis literis educatus est, quas ille miro ardore prosequebatur. itaque felici ingenio & diligenti lectione effecit, ut in sacris scripturis eruditissimus, adeoque Theologorum suo tempore facile princeps haberetur. Erat etiam trium linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ peritissimus, philosophus, & Mathematicus insignis. Vita quoque & conuersatio integrissimus, & singulari pietate praeditus. Hinc factum ut uirtutis causa primo Episcopus Brixinensis, postea uero Ecclesiæ Romane tituli S. Petri ad vincula presbyter Cardinalis creatus fuerit.

Vnde pontifex eum postea in Germaniam patriam Legatum misit. Ibi multa pro reformatione Ecclesiæ & ordinis Benedictinorum constituit. Cum autem in Brixinensi Ecclesia pro ueteri pontificum iure omnia disponere uellet, Sigismundus Austriae archidux restituit. Noluit enim is admittere, ut cardinales Ecclesiæ Germanicas pro sua uoluntate administrarent, id quod in alijs Europæ prouincijs Gallia, Anglia, Hispania, & Italia fieri solet. atque id etiam obtinuit. Haec etiam unica causa, quod in Germania pauciores cardinales, quam in reliquis nationibus existant.